


Johann Philipp Bauermeister

**De Systemate Socinianorum Dogmatico**

**Commentatio IV.**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXLI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn101576519X>

Band (Druck) Freier  Zugang  OCR-Volltext

DE  
**SYSTEMATE SOCINIANORUM**  
**DOGMATICO**

SCRIPSIT

**JO. PHIL. BAUERMEISTER,**

ACADEMIAE H. T. RECTOR.

---

COMMENTATIO IV.

---

---

ROSTOCHII  
TYPIS ADLERIANIS.  
MDCCCXLI.

SYSTEMATE SOCIETARIORUM  
DOGMATICO

SECRETUM

JO. PHIL. MAURER

ACADEMIAE PALEONTOLOGICAE

INSTITUTIONES

POSTHUMI

OPUSCULA

PALEONTOLOGICAE

Abhinc aliquot annis quum munere Rectoris Academiae fungerer, tres de placitis Socinianorum commentationes a me scriptae sunt, in quarum prima, me totum eorum systema dogmaticum expositurum esse, promisi. Adhuc tamen de *theologia* tantum et *anthropologia* egi, ut de *soterologia* et *eschatologia* praeterea sit dicendum. Itaque, nunc ejusdem muneris ratione denuo parvum libellum a me efflagitante, ut, quod pollicitus sum, id praestem, eam ipsam rem, quae a me tractari coepta est, exponere pergam. Accedit, quod nonnulli viri docti me excitarunt, ut delineationem,

quam incepissem, continuarem et ad finem perducerem. Neque id eo dico, quod credam, illos inchoatum opus pro eximio habere eoque admodum fuisse delectatos; sed excitarunt, ne multa et ampla volumina perlegere ipsis necesse esset, si forte dogmata Socinianorum neque in uno loco neque commodo ordine ueque semper claris et apertis verbis ab his tradita cognoscere vellent, et ut ea in summam redacta uno obtutu perlustrare possent. At ex multa lectione, quis est, qui laudem sibi putet acquiri? Exposuerunt ea quidem nuperrime duo viri docti \*); sed alter eorum, Moehlerus, infestus ille ecclesiae Lutheranae, at doctus tamen

---

\*) Symbolik, oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestanten nach ihren öffentlichen Bekenntnißschriften. Von Dr. F. A. Moehler. Fünfte Aufl. Mainz. 1838. — Allgemeine christliche Symbolik. Eine vergleichende quellengemäße Darstellung der verschiedenen christlichen Confessionen von lutherisch kirchlichem Standpuncte. Von H. E. F. Guericke. Leipzig. 1839.

— v —

vir et acutus et ingeniosus, cum hoc potissimum sibi proposuisse videatur, ut catholicorum dogmatum omnium veritatem probaret, summam excellentiam ostenderet, admirabilem efficaciam extolleret, arctissimum nexum et tenorem demonstraret, brevi, ut singulis eorum divinam originem vindicaret, contra, quam essent omnia falsa, quam perniciosa et inter se pugnancia, quaecunque a sacrorum Christianorum emendatoribus nostris fuerint accepta, evinceret, neglectis fere minoribus ecclesiae Christianae partibus parum diligentiae et operae adhibuit, neque earum doctrinas satis accurate descripsit. Non igitur miraberis, quod viginti paginis descriptio totius systematis Socinianorum ab eo absoluta est, in qua, quantumvis parva et exili, quoties sit erratum, nunc non adtinet indicare. Guerikius autem etsi Moehlerum et rerum ubertate et sincera infucataque earum expositione mirum quantum superavit, tamen ab eo, qui multarum ecclesiarum et sectarum doctrinas inter se comparet, ut sin-

gula quaeque eadem subtilitate et cura persequatur,  
qua eum uti necesse est, qui uni tantum syste-  
mati delineando operam dat, jure non postulaveris.  
Ergo, si meum opus continuassem, non putavi, me  
actum acturum esse. De soterologia autem ita  
scribam, ut nuuc de salutis auctore Jesu Christo,  
ejus persona, opere et statibus agam.

I.

**De persona Christi.**

§. 1.

**S**ociniani, quum sententiae de trinitate orthodoxae sese opponant, recte dogma de duabus Christi naturis earumque intima conjunctione haud suscipiunt, verum, id et sanae rationi et S. Scripturae repugnare, contendunt, illi, quod duae substantiae proprietatibus sibi adversae coire in unam personam nequeant, neque liceat eundem mortalem et immortalem esse, principium habere et principio carere, mutabilem et immutabilem existere, deinde quod duae naturae personam utraque constituentes in unam personam quasi coalescere itidem non possint. <sup>1)</sup> Ergo Christus eis est homo respectu habito essentiae; tamen *non purus et vulgaris* homo, quoniam in virginis utero et sine viri ope divini Spiritus vi conceptus et formatus sit <sup>2)</sup> atque propter qualitates (h. e. potentiam et scientiam), quibus genus humanum praesertim post exaltationem superet. <sup>3)</sup> In illo unam esse causam, cur *filius dei* et ille quidem pro-

---

1) Catech. Racov. Quaest. 98. Locos autem S. Script. tractatos vide in Quaest. 100 et seqq.

2) Socini brevissima institutio etc. (Opp. Tom. I. pag. 654) Catech. Rac. Quaest. 96.

3) Vide Ostorodtii librum: Unterrichtung von den vornehmsten Hauptpuncten der christlichen Religion etc. Rakaw 1612. cap. 19. pag. 132.



prius et unigenitus appelletur. 4) Necessè autem fuisse, ut Christus e virgine nasceretur, non propter peccatum originis, quod nullum sit, sed propter eam necessitatem, quae ex eo oriatur, quod deus ante sic stauisset (scil. Jes. c. 7.). 5) Corporis praestantiae et pulcritudinis ab orthodoxis Christo tribui solitae ne mentione quidem facta, Sociniani absolutam vitae ejus innocentiam extollunt, qua adeo sancte vixerit, ut neque ante neque postea quisquam eum sanctitate aequaverit, adeo ut ad ipsum deum sanctimonia proxime accederet, deoque ob id ipsum magnopere similis esset. 6) Praeterea Christum sapientia et vero etiam potentia genus humanum superasse dicitant, qua solo verbo maris, ventis, morbis daemonibusque ipsis imperaret; cujus potentiae quasi partem apostolis eum esse largitum, ut hi quoque miracula ederent, 7) quae etsi Christo a patre data esset, nec naturae ejus divinae, qua careret, propria 8), tamen eam non aequiparandam esse potestati miraculorum faciendorum aliis hominibus v. c. prophetis concessae. Nam in Christo istam potentiam resedisse ejusque arbitrio perpetuo fuisse permissam atque ejus propriam factam; quod colligitur partim ex imperio et auctoritate, qua miracula fecerit, partim ex eo, quod potestatem miracula faciendi aliis ipse dederit, partim denique ex eo, quod ipsius nomine ab

---

4) V. Socinum l. c.

5) Cf. Socini lectiones sacras. (Opp. Tom. I. pag. 315.)

6) Catech. Rac. Quaest. 374 et 375.

7) Vid. Socini responsionem ad libellum Jacobi Vujeki (Opp. Tom. II. pag. 583 et 658.). Volkeliū in l. de vera religione libr. V. Racoviae 1630. lib. 1. pag. 38. Ostorodtium in libr. supra laudato c. 19. pag. 111 et seqq.

8) Socinus de Jes. Christo servatore (Opp. Tom. II. pag. 150.).

aliis miracula sint facta; contra in aliis hominibus, quibus illam potestatem deus concesserit, eam non resedisse et ad arbitrium dei fuisse datam ita, ut precario, ut ajunt, non dominii titulo eam possiderent. Denique habuit potestatem peccata condonandi jam tum, quum in terra viveret. <sup>9)</sup>

---

II.

**De opere Christi.**

§. 2.

De opere Christi dicturis nobis monendum est, in hoc loco placita Socinianorum maxime discrepare a doctrina omnium partium, quae ante eorum aevum in ecclesia Christiana viguerunt. Retinent illi quidem docendi formam, ut Christo triplex munus tribuant, *propheticum*, *sacerdotale* et *regium*, vel potius, ordine inverso, *regium* et *sacerdotale* <sup>1)</sup>, sed plurima hujus doctrinae momenta vel ulla esse negant vel prorsus alio sensu accipiunt, quam quo orthodoxi solent; multaque hac in parte a Socino ejusque adseclis tam acute sunt disputata, ut insequente tempore ab eis, quibus orthodoxorum systema minus placuit, tantum sint repetita.

Summa rei versatur in munere *prophético*. Constat autem hoc in eo, quod *Christus nobis voluntatem dei perfecte manifestavit et confirmavit*. <sup>2)</sup> Perfecte eam *manifestavisse* hinc apparet, quod per-

---

<sup>9)</sup> Socini Responsio ad libellum Vujeki (Opp. Tom. II. pag. 616.).

<sup>1)</sup> Catech. Rac. Quaest. 191. — — „tenendum itaque tibi est, munus in eo consistere, quod sit propheta, rex et sacerdos noster.“ Cf. Socini Christianae relig. Institut.

fectissima ratione eam a deo in coelis est edoctus <sup>3)</sup> et ad eam hominibus publicandam e coelo magnifice missus. Quod ex iis nominibus, quae in S. Scriptura ei tribuuntur, apertissimum est, cum eum τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, Θεόν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, εἰκόνα τοῦ Θεοῦ, ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ vocet atque doceat, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος habitare in eo σωματικῶς. Voluntas vero per Jesum patefacta est illud foedus novum, quod cum genere humano Christus nomine dei pepigit, (unde etiam mediator novi foederis in S. Scriptura vocatur), quodque duplex rerum genus comprehendit, quarum unum deum, alterum nos respicit <sup>4)</sup>. Prius amplectitur perfecta *mandata* et perfecta dei *promissa*. Mandatorum *una pars* continetur in praeceptis a Mose traditis una cum iis, quae sunt eis in novo foedere addita, *altera* in iis, quae solus Christus praescripsit.

At *priora* ea tantum sunt, quae in decalogo praecipiuntur <sup>5)</sup>. Namque caetera praecepta a deo per Mosē tradita,

---

2) Vid. Catech. Rac. Quaest. 193.

3) Cf. Commentationis nostrae secundae pag. 13., ubi de Christi in coelos profectioe s. raptu ad divinam voluntatem cognoscendam et descensu post eam cognitam egimus.

4) Hoc genere nihil continetur nisi *fides*, qua, ut ipsi interpretantur in Quaest. 418., non solum deo, verum etiam Christo confidamus et deo obtemperemus non in iis tantum, quae in lege per Mosē lata praeceperit, neque Christus abrogaverit, sed etiam in iis omnibus, quae Christus legi addiderit. De qua fide Sociniana in loco de ordine salutis uberius tractabimus.

5) Auctores Catech. Rac. hanc rem in Quaest. 199—333 magna ubertate et

quorum alia ad *ritus exteriores* (leges caerimoniales), alia ad *judicia* spectant (leges civiles s. polit.), Christus partim diserte par-

---

verborum copia, logicis tamen legibus saepe neglectis, ita tractant, ut primum sententiam singulorum praeceptorum exponant, deinde, quae a Christo addita sint, adferant. Legum explicatio est fere arbitraria, qualis solet esse in libris plebi erudiendae aptis. Unum exemplum sufficiat. Ad declarandam sententiam praecepti septimi interrogatur: Quid prohibetur hoc mandato? atque respondetur: In his rebus, quae ad commodum proximi spectant omnis ratio intervertendi; quod fit, ubi vel ea, quae habet, tollimus, aut cum non ei egeno opem adferimus.“

Additamentis vel forma legis Mosaicae, ut philosophorum more loquar, ad plura objecta, quam quae Moses designavit, refertur, vel arctioribus finibus circumscribitur, quo fit, ut severitas legi accedat, vel prorsus nova neque interiore nexu cum lege conjuncta cum ea copulantur, ut, pro arbitrio haec adjecta esse, recte dixeris. Primi et alterius generis exemplum tibi statim suppeditatur praecepto primo, cui Christus cum *certam orandi rationem* (orationem dominicam), ut nobis certo constet, quae semper et necessario a deo sint precanda, tum *illam legem* addidisse, docetur, qua teneamur, ut etiam dominum Jesum deum agnoscamus et cultu divino prosequamur. Secundo praecepto hoc, ne deum in rebus falsis testem vocemus, cautum esse rati, sub novo foedere haec addita esse censent; primo, quod non solum deum, verum etiam Jesum Christum dominum in testimonium vocare possimus, cum Jesus ad intimos animi humani recessus penetret. Deinde, quod nobis non modo pejerare liceat, sed ne in veris quidem rebus jurare, nisi longe gravissimis caussis, iisque, quibus dei gloria nitatur, neque id ipsum temere, verum cum magno dei metu et summa cautione.

tim tacite aut per Apostolos suos abolevit, et illa quidem propterea, quod caerimoniae umbrae tantum sunt rerum futurarum, quae jam prae-

---

Prorsus nova copulantur cum quarto praecepto, quo in honore parentes habere jubemur. Coniungunt enim, tanquam Christi additamenta, ea omnia, quae de officiis subditorum et magistratum, uxorum et maritorum, servorum et dominorum in Literis divinis tradita sunt.

Caeterum tertiam legem, quemadmodum alias caerimoniae, esse novo foedere sublatam atque ideo decalogo insertam, arbitrantur, ut absolutissimam legis mosaicae partem non fuisse perfectam apparet (!), et iudicium quoddam exstaret, legem successuram mosaicae legi longe perfectiorem, Jesu Christi. Attamen cum diem dominicam antiquitus celebrari a Christianis viderint, eandem *libertatem* omnibus Christianis permittunt.

Socinus, qui in multis operum suorum locis, Mosaica praecepta moralia Christum complevisse et perfecisse, statuit, in *Concionis Christi, quae habetur capite Vto. et seqq. apud Matthaeum explicatione* (Opp. Tom. I. pag. 9. et seqq.), multo rectius non decalogi solius ratione habita, verum etiam aliorum Mosis praeceptorum, id ipsum probare studet. Simili ratione de eadem re disputat Ostorodius. Confer ejus: *Unterrichtung etc. cap. XXII. et seqq.* At cum auctores Catechismi praecepta Mosis moralia in solo decalogo sibi invenisse videantur, saepe iis accidit, ut, quae jam olim vel imperata vel vetita erant sub vetere foedere, ea pro Christi complementis venditent, aut inter ea adferant, quae Christum primum docuisse dicant. Sic sextam legem inter alia esse eo perfectiorem factam putant, quod Christus omni scortatu nobis interdixerit; quasi scortari antiquis Judaeis licitum fuisset! Quaerenti autem, qua de causa Catechismi auctores praecepta Mosis moralia ad solum decalogum restrinxerint, equidem responderim, ideo hoc eis placuisse, quo facilius et commodius possent ad-

sentis sunt et in novo foedere apparuerunt, et quod novum foedus plane spirituale est, neque in ullis rebus externis, quales sunt ritus, verum in internis est positum <sup>6)</sup>, haec vero, partim quod sub prisco foedere severitas et rigor locum habuit, in novo foedere autem gratia et misericordia, partim quod sub novo foedere facta est integra promissio vitae aeternae, quam antiquum foedus non novit, quum nihil aliud diserte promitteret, quam hujus vitae bona terrestria, partim quod sub prisco foedere populus dei et rempublicam externam et formam ejus ab ipso deo praescriptam et constitutam habuit, postea vero republica deficiente et ipsae leges et judicia ad eam constituendam facta evanuerunt.

*Praecepta autem Christo peculiariora sunt duplicis generis, quorum altera ad mores, altera ad externas actiones pertinent. Ad mores pertinet, ut privatae voluntati et cupiditatibus renunciemus (abnegatio sui ipsius), deinde ut animum non solum ad aerumnas quasque, verum etiam ad mortem vel acerbissimam et ignominiosissimam Christi causa subeundam praeparemus, neque eas solum nostro arbitrio suscipiamus,*

---

ditamenta a Christo facta enumerare et sic augere ejus beneficia. Denique moneo eo, quod Catechismus religionis Mosaicae leges caerimoniales et judiciales a Christo abrogatas, et quae ad mores pertineant, in solo decalogo contineri, sed perfectiora a Christo reddita esse, statuatur, contra dictorum veterum prophetarum nullam rationem habeat, egregie ea confirmari, quae in Comment. 1. §. 1. de auctoritate Vet. Test. contendimus.

6) Catech. Quaest. 202. propter coenam sacram, ni fallor, caute adjecit: Qua re, nisi de ejusmodi re quapiam (nempe caerimonia) expressum in novo foedere exstet mandatum, nullo modo, eam in novo foedere servandam esse, credendum est.

sed etiam cum quadam voluptate toleremus et perpetiamur (crucis tolerantia), denique ut nostram vitam ad Christi exemplar componamus ejusque virtutes vita exprimamus nostra, quarum praecipuae sunt fiducia in deum, caritas perfecta, humilitas et in precibus adsiduitas perpetua (imitatio Christi) 7).

*Promissorum* omnium a Christo factorum maximum est vita aeterna 8), ad quam accedit promissus Spiritus sanctus s. auxilium divinum,

---

7) Quae alterius generis praecepta recensentur, de iis disseremus, quando de baptismo et coena domini tractandum erit.

8) Catech. Quaest. 352 et seqq. Socinus in libro contra Palaeologum de magistratu P. IV. (Opp. Tom. II. pag. 107.) sic scribit; Certum idque valde insigne discrimen inter veteris et novi foederis promissa esse, id evidenter demonstrat, quod in veteris foederis promissis nulla aeternae vitae fit mentio, in novo vero ea potissimum commemoratur et inculcatur, ita ut ipsa sola vere (leg. fere) et omnino promissa fuisse videatur. Quod de novi foederis promissis asserimus, adeo manifestum est, adeoque inter omnes constat, ut supervacaneum sit —, ejus rei testimonia proferre. Quod autem de veteris foederis promissionibus affirmamus, etsi multi hodie, nescio qua ratione, id constanter negant, verissimum tamen esse, comprehendet, quisquis universam legem Mosis accurate perlegerit. Praesertim vero in iis locis, ubi ipse ex professo et nominatim ipsas promissiones explicat atque enumerat, ut Exod. 23. Levit. 26. Deut. 7 et 28. Ibi enim nulla prorsus ratione vita aeterna inter caetera promissa bona recensetur, sed hujus vitae commodorum tantummodo fit mentio. Et tamen si ea ad illius foederis promissiones pertinuisset, non modo diserte in istis locis sine dubio commemorata esset, verum etiam tanquam id bonum, quod solum caeteris simul omnibus maxime praestat, multo diligen-

quo illa potiamur; quorum neutrum in lege Mosis comprehensum est. Nam etsi concedendum est, spem vitae aeternae jam ante Christum Judaeis fuisse, cum ea sit res summopere expetenda, quam credibile sit dei cultoribus datum iri, tamen in vetere testamento, se hoc beneficium largiturum esse, deus nequaquam promisit. Distulit enim tam excellens promissum in tempus, quod noverat opportunum, ut tanto evidentius appareret omnibus, tam excellens bonum esse proprium ipsius munus, ex mera benignitate profectum <sup>10</sup>). Attamen praeter vitam aeternam sunt etiam hujus vitae promissa facta, quae, etsi plenissima et uberrima, tamen sic tantum intelligenda sunt, nunquam christiano homini quidquam defuturum, quod ad hanc vitam necessario requiratur <sup>11</sup>).

---

tius, quam reliqua omnia, exposita atque inculcata fuisset. Et sane haec sola ratio, quae hujus loci valde propria est, satis esse deberet ad demonstrandum, inter veteris foederis promissa vitam aeternam non numerari. “Sed quo certius hac de re constet, procedente disputatione Novi Testamenti locis, vitam aeternam, quamvis multo ante humano generi a deo destinatae atque decretam, a Christo tamen omnium primo dei ipsius nomine patefactam et promissam fuisse, Socinus evincere conatur. Citantur autem ab eo et explicantur 1. Tim. 1, 10. Tit. 1, 2. 1 Joh. 1, 1 sqq. c. 2, 25. 1 Joh. 5, 11. Rom. 6, 23. Joh. 17, 3. Confer Volkeliū de rel. christ. libr. II. c. 19. 30.

- 9) Quam de auxilio divino sententiam Sociniani, paullo obscurius ab ipsis expressam, dixisse videantur, dispiciendum est in articulo de ordine salutis.
- 10) Catech. Rac. Quaest. 358.
- 11) Auctores Catech. sub vetere foedere non solum quaerere licuisse et possidere plura, quam vitae usus requirat, sed etiam supervacanea, voluptates



*Confirmavit* autem Christus divinam voluntatem, quam patefecerat, *absoluta vitae innocentia, miraculis admodum magnis, et morte* <sup>12)</sup>. Cui rei testimonio est 1 Joh. 5, 8. ubi voce spiritus dei spiritus designatur, cujus virtute illa miracula patrata sunt, aqua vitae illius puritas (!), sanguine ipsius mors. Namque cum admiremur in Christo summam vitae sanctimoniam, verum docuisse censendus est; nec tantam potestatem patranda miracula, quae prorsus divina esse oportuit, deus unquam alii, nisi qui ab ipso missus esset, collaturus fuisset. Tum morte Jesu Christi non solum ingens dei erga nos amor apertissime demonstratur <sup>13)</sup> et divina voluntas id nobis donandi, quod in novo foe-

---

et alia, quibus vita facile careat, aucupari, dummodo id sine alterius fieret injuria, rati, propterea, quo supra diximus modo, promissa hujus vitae per Christum facta definiunt, quod ex S. Scriptura constet, hominem christianum acquiescere debere iis, quae ad vitam tuendam sint necessaria. Vide enim Quaest. 360 et seqq.

12) Catech. Rac. Quaest. 374 et seqq. Volkelius in libro supra laudato I. III. c. 16 et sqq. inter ea, quibus voluntas dei patefacta per Christum sit confirmata, recenset Christi *resurrectionem* et *adscensum in coelos*, quod utrumque Catech. cum morte conjunxit. De re cf. Socini libr. contra Palaeologum de magistratu, part. I. cap. 3. (Opp. Tom. II. pag. 127 et seqq.)

13) Catech. Rac. I. c. Sic ea quoque accipienda videntur esse, quae Socinus parum aperte disputat in libro modo citato. Amoris dei haud diserte mentione facta ille cap. 3.: animadvertere autem, oportet, inquit, non solum miraculis confirmasse Christum viam salutis, quam annunciaverat, sed vel maxime sui sanguinis effusione, qui propterea sanguis aeterni foederis

dere est promissum, unde etiam sanguis novi foederis est dictus, sed etiam resurrectione et exaltatione Christi, quae non nisi morte interveniente fieri potuerunt, certiores facti sumus, nos, si fidem ei habuerimus, sive praeceptis ejus paruerimus, extremo illo die ab ipso excitatum iri et vitam aeternam consecuturos, quae beneficiorum nobis promissorum quasi summa est et divinae praedicationis universae caput et finis.

Etenim Christi exemplo id nobis proponitur, eos, qui deo obtemperant, e quovis mortis, quantumvis atrocis, genere liberari, adeoque nobis constat, Christum eam potestatem esse consecutum, qua possit suis, sive iis, qui ipse pareant, vitam aeternam donare. — Hinc patet, in salutis nostrae negotio multo plus resurrectioni Christi tribuendum esse, quam ejus morti, id quod etiam testantur Libri Sacri v. c. Rom. 5, 10. 8, 34. Crebro autem morti Christi haec omnia Scriptura adscribit, tum quod ista via ad resurrectionem et exaltationem fuerit, adeo ut sine ea, secundum dei decretum, pervenire ad illa non potuerit, tum quod

dictus est. — Nam sicuti alicujus animantis sanguine fuso, foedera antiquitus sanciebantur et confirmabantur, ita Christi, *fili sui*, sanguine foedus suum novum atque aeternum, quod nobiscum per ipsum Christum pepigerat, sancivit et confirmavit deus. Mortuus igitur est Christus, ut novum et aeternum dei foedus, ejus ipse mediator fuerat, stabiliret et consecraret, unde testis veri et fidelis merito nomen, ut vidimus, est adeptus. Et adeo hac ratione divina promissa confirmavit, ut deum ipsum quodammodo ad ea nobis praestanda devinxerit, et sanguis ejus adsidue ad patrem clamet, ut promissorum suorum, quae ipse Christus nobis illius nomine annuntiavit, pro quibus confirmandis suum ipsius sanguinem fundere non recusavit, meminisse velit.

ex omnibus, quae deus et Christus salutis nostrae causa fecerunt, mors Christi potissimum nobis dei et Christi amorem ostendat et ante oculos ponat.

§. 3.

*Regium Christi munus duplici ratione consideratur, tum regni ipsius, tum populi, qui ei subest* <sup>1)</sup>. Regni autem ratio est haec, quod deus Christum suscitatum a mortuis et in coelos adsumtum a dextris suis collocavit, potestate ei in coelis et in terra omni data et omnibus ipsius pedibus, se excepto, subjectis, ut fideles gubernare, tueri et in aeternum servare possit. <sup>2)</sup>

---

1) — sive ecclesiae visibilis et invisibilis, de qua posthac dicendum erit.

2) Sociniani, Christum eodem corpore, quo cruci affixus fuerit, praeditum fuisse post resurrectionem, contendunt, quod eo probare posse sibi videntur, quod non solum Christus cum discipulis suis post resurrectionem comederit et hiberit et cicatrices in manibus pedibus et latere iisdem ostenderit (Cat. Quaest. 465.), verum etiam S. Scriptura de immortalitate et gloria Christi corpori, dum in terris esset, concessa, sileat, et omnino corpus immortale et gloriosum sub hoc coelo, ubi omnia in interitum rapiantur, degere non conveniat. (Vid. Socini ad defensionem Franc. Puccii Responzionem Opp. II. p. 336.) Addunt, eodem corpore, quo in crucem sublatus sit, Christum praeditum esse debuisse, ut apostolos discipulosque suos de resurrectione sua certiores redderet, quae causa etiam fuerit, cur per dies quadraginta cum iis egisset. (Catech. Quaest. 466.) Tunc demum igitur Christus corpus immortale, gloriosum, potens et spirituale est adeptus, cum hinc abiit et in coelum sublatus est, ubi sedes est corporum immortalium et gloriosorum (Socinus l. c.) et quo

Sessione autem ad dextram dei significatur, Christum dei vices gerere<sup>3)</sup> ac virtutem efficacem habere ad gubernandum et conservandum

ille, tanquam praecursor filiorum dei, omnes praevenit, ut iis locum pararet. (Cat. Quaest. 470.)

*Descensum Christi ad inferos s. infernum* Socini sectatores ignorant, et ipse 1 Petr. 3, 19. *ἐν ᾧ καὶ τοῖς* etc. ita interpretatur, ut apostolus dicat, Christum per eandem divinam vim atque potentiam, cum hinc ad patrem profectus esset, *dimissis per universum orbem discipulis et ministris suis*, qui tantam ejus adversus mortem victoriam praedicarent et palam testarentur, *eorum etiam hominum mentibus et animis clare concionatum esse et veritatem patefecisse, qui malitiae et ignorantiae vi, quodam quasi carcere, tanquam irae captivi detinebantur et contumaces fuissent aliquando.* (Cf. Socini Explicationes locorum S. Scripturae. Opp. I. pag. 152.). Ne igitur decipi te patiaris loco Opp. II. pag. 336, ubi Christum *ab inferis* excitatum appellat, nam voce *inferorum* usus est pro sepulchro aut pro morte aut mortuorum statu, quo sensu Sociniani verbum *inferni* plerumque usurpant. Cf. Volkeliū lib. III. pag. 135. Nec poterat, si constare sibi voluit, hoc concedere, Christum ad inferos descendisse, ut evangelium *πνεύματι ἀπειθήσασιν ποτέ* praedicaret, quum alia ei placerent cum isto dogmate haud concilianda. Credebat enim, malos post mortem corporis penitus interire et extinguī solosque in Christum credentes et eis similes e mortuis suscitatum et vita aeterna beatum iri!

3) Quod nonnulli ex his verbis expiscati sunt, eo insipientiae progressos esse Socinianos, ut deum a tempore sublato in coelos Christi, universitatis rerum cura filio commissa, feriari opinentur, id falsum esse eo manifestum est, quod Catech. in describenda potestate Christi addit: *ut fideles gu-*

dei populum 4). Quae in eo eminent, quod Christus in corpora et animas absolutam habeat potestatem, nec hominibus tantum verum etiam

---

*berre etc. possit.* Nam, ut cum Socino loquar, Christi omnipotentia est in ecclesia tantum. (De adoratione Christi disputatio, Opp. Tom. II. pag. 769.) Quae verba explicantur iis, quae in Epistola IV. ad Andream Voidovium (Opp. Tom. I. pag. 472.) scripsit: Quod — tibi non videtur prorsus arridere sententia illa mea in eo (scil. Libro disputationis cum Francisco Davide) expressa — Christi imperium et potestatem ad ecclesiam tantum se porrigere, animadvertere debes, me satis aperte non uno in loco omnia complecti, quae quoquo modo ad ecclesiam et ad singula eius membra vel pertinent vel pertinere possunt, adeo ut ea etiam, quae extra ecclesiam, ratione tamen ecclesiae fiunt, meis verbis comprehendam. Neque enim — nihil est, quod non fiat ratione ecclesiae. Immo infinita ejusmodi sunt, ut ipse, si totum terrarum orbem vel mundum universum consideres, et quae in ipso quotidie fiunt, necessario fateberis. Christo, praeter ipsum deum, omnia subjecta sunt, ubi nimirum de re aliqua ad ecclesiam ejusve membrum vel minimum (ut tale tamen consideratum) quoquo modo pertinente agatur. Itaque praeter ipsum deum — nihil penitus sive in coelo sive in terra a Christi potentia verba mea excludunt, quamvis afferam, potentiam istam exercere non esse illi datum, nisi ubi de ipsius regno vel de iis, quae ad ipsum regnum quaecunque vel minima ratione spectent, agi contigerit. Nec sane vel tacite vel aperte negavi ego unquam, panem quotidianum vitae alendae necessarium a Christo peti posse, modo is qui petit, vel pro quo petitur, vel ipsa ista petitio relationem seu rationem aliquam ad ea, quae dixi, habeat.

4) Catech. Quaest. 472. Non prorsus conspirant cum hac Catechismi explicatione, quae Volkelius profert in libr. III. c. 21. Nam is ideo sessionem

angelis et bonis et malis, et morti et inferno dominetur. Data autem est ei illa potestas in corpora et animas, ut in omni necessitate et spiritali et temporali subvenire hominibus possit, et quia est constitutus vivorum et mortuorum iudex. Angelis bonis usitur ad omne ministerium, quo vel regni sui fines promoveri possint vel credentes juvari, contra mali angeli ei sunt subjecti, ut eorum conatus reprimat et, cum velit, eorum potestate utatur vel ad puniendos vel ad coercendos homines, qui aut honori ipsius aut credentium saluti obstant. Mortis et inferni denique habet imperium, ut credentes, licet a morte absorpti fuerint, denuo vitae reddat et immortales praestet <sup>5)</sup>.

ad dextram dei Christo a sacris scriptoribus tribui putat, ut, cum primum et supremum post deum locum tenere i. e. summum secundum deum in omnes res creatas habere imperium, doceant.

5) Catech. Quaest. 475. Uti Socinus sic etiam Catechismi auctores malorum hominum resurrectionem haud memorant. — Monendum autem ad h. l. mihi est, haud paucos Socinianorum, provocantes ad 1. Cor. 15, 24 et seqq., regnum Christi non in aeternum duraturum, sed, bonis hominibus in aeterna felicitate constitutis, deo traditum iri, disertis verbis pronuntiare, inter quos Osterodtius c. 41. pag. 399. haec de hoc dogmate scribit: Daß aber aus keinem andern Ort der heil. Schrift, noch mit rationibus, so aus H. Schrift genommen, könne bewiesen werden, daß Christi Reich nimmermehr aufhören, und ganz und gar kein Ende haben solle, wird aus Dem offenbar, daß nicht allein mit kräftigen rationibus, sondern auch mit ausdrücklichen Worten aus H. Schrift kann bewiesen werden, daß Christi Reich dermateins aufhören und ein Ende haben wird. Denn weil Christi Reich anders nichts ist, denn daß er uns regieret und selig machet, so muß ja folgen, daß solches aufhöre und ein Ende

§. 4. Quod adinet ad munus, ab orthodoxis alterum dici solitum, sacerdotale, quamvis Sociniani Christum servatorem habeant, tamen eum praestita obedientia activa et passiva, quae hominibus imputaretur, deo satisfacisse, aut eum reconciliasse, atque ita homines redemisse, praefracte negant.

nehme, wenn er uns wird selig gemacht haben und derhalben nicht mehr wird von Nöthen seyn, daß wir den schmalen Weg wandeln, auf welchem wir seiner Regierung bedürfen." Cui argumentationi addit locum 1 Cor. 15, 24 et sqq. Praeterea necesse esse, ut Christi regnum finiatur, eo demonstrat, quod, si in aeternum duraret, eventus non responsurus esset eis, quae deus promiserit (Joh. 17, 22. Apoc. 3, 21. et all. locc.), nos eodem honore, quo Christus gaudeat, olim iri condecoratum eique fore similes; fieri autem hoc non posse, si imperium in nos Christus esset semper exerciturus. Cf. Volkeliu in libr. II. capi. 36. In eo vero est causa, cur recentiores Sociniani quartam Christi statum *degradationis* esse velint. Socinus ipse neque Christi regnum aeternum esse unquam negavit, neque, quod sane mireris, in ullo multorum, quos confecit, librorum dictum Paulinum explicuit; quid? quod ejus ne mentionem quidem unquam fecit. Praeterea ex verbis Catechismi, qui Christo, ut fideles in aeternum servare possit, omnia subjecta esse docet, facile colligas, Christi regnum fore perenne. At, quum Socino praeter sedem beatorum et beatos, inter quos boni angeli quoque referuntur, omnia in fine saeculi in interitum rapi placeat, regnumque Christi beatos spectet, quid, quaeso, superest, cui deus imperet? Ergo, ut vel deus ab eo tempore otietur, vel ut Christus in eum sui regni aliquam partem conferat, vel ut ipse se regno abdicet, necesse est. Quam harum sententiarum Socinus suam fecerit, non liquet.

Contra hoc dogma, quo, per Christum mediatorem deum reconciliatum esse, statuunt, Socinus monet, nusquam in S. Scriptum exstare, deum nobis, sed contra nos deo reconciliatos per Christum fuisse, quo sane indicetur, non deum, sed nos inimico animo fuisse, non illum placari, sed nos inimicitias deponere debuisse, atque sic reconciliationis verbo nostram tantummodo ad deum conversionem, quam deus ipse procuraverit, et hac ratione cum eo renovatam vel potius initam amicitiam significari<sup>1)</sup>; additque, in ipsis locis<sup>2)</sup>, in quibus reconciliationis cum deo fiat mentio, clarissime ostendi, non alia ratione eam factam esse, quam quia nos operá ipsius dei per Christum, quo ad opus hoc illustrissimum patrandum et absolvendum usus sit, a peccatis nostris emergentes ad ipsum, spe beatæ immortalitatis suffulti, totis viribus colendum eique perpetuo serviendum conversi simus. — Qui nomine mediatoris Christo attributo irae dei placationem probari posse putent, his Socinus opponit, eo illos deceptos esse, si quod persuasum haberent, mediatorem non dici, nisi qui duos inter se dissidentes componat et alterum cum altero conciliet, quum potius in Sacris Libris neminem significet praeter eum, qui medius quidem inter duos sit, hoc est, inter

1) Cf. De J. Christo serv. (Opp. Tom. II. pag. 136 et seqq.).

2) Hoc refert Rom. 5, 10. 2 Cor. 5. sub fin. Col. 1, 21. Tum duorum locorum Eph. 2, 16. Col. 1, 20. alter ei significare videtur, gentes et judaeos inter se reconciliatos esse deo tamen, h. e. ad serviendum deo eique vitam totam consecrandam; alterum vero hoc continere putat, per Christum omnia, quae in coelis sint et in terra a deo summatim simul comprehensa et instaurata fuisse, ut ad summam concordiam inter se redacta fuerint. Cf. Catech. Rac. Quaest. 407.



deum et hominem; non tamen, qui deum miratum homini placet; sed quo deus ut internuncio atque interprete ad foedera sua cum hominibus pangenda et sancienda utatur, et per quem illi ad ipsum, ejus voluntatis cognitione instructi, accedere possint. (Gal. 4, 19. Hebr. 8, 6-9, 15, 17, 24.). Internuncii significatum fuit etiam 1 Tim. 5, 2., ubi adjecta sunt verba: ὁ θεὸς ἑαυτὸν ἀκτίλυτρον ὑπὲρ πάντων. At nullo modo constare, adfirmat, Paulum hoc additamento exponere voluisse, quo sensu Christum mediatorem adpellasset, potius videri eum, praeterquam quod Christum unius dei et hominum unicum internuncium esse dixisset, voluisse addere, ut sententiam suam, de qua ibi ageretur, plenius confirmaret, non impendisse illum vitam suam pro liberatione unius aut alterius hominis, unius aut alterius generis hominum, sed pro cunctis sine ullo discrimine mortuum esse. Internuncium vero, non pacificatorem, hoc etiam loco mediatoris nomine significari, argumento ei est, quod, antequam mediatoris mentio fieret, nihil prorsus dictum sit de dei ira adversus hominum scelera, nihil denique praecesserit, cur de Christo ut pacificatore mentio injicienda esset. Contra de dei benignitate et clementia, qua humanum genus complexus fuisset et omnes sine discrimine ad salutem et veri agnitionem invitavisset, aperte locutum esse apostolum; inde igitur merito internuncii mentionem injectam fuisse, cum non nisi per aliquem internuncium dei voluntas hominibus generatim patefieri so-

leat. <sup>6)</sup> Vid. libr. cit. Tom. II. pag. 136 et Catech. Ruc. Quaest. 405.

At satisfactionis dogma Socinus ita impugnat, ut primum contendat, satisfactionis s. satisfaciendi verbum, cum de salute nobis per Christum parta agatur, in S. Scriptura nusquam inveniri nec quidquam ejusmodi, ne semel quidem, quale esset, Christum poenas iniquitatibus debitas divinae justitiae persolvisse, vel eum scelera nostra obedientia sua compensasse, vel eum, sicut remissionem peccatorum nobis deus largiretur, commertum fuisse, vel denique eum aliqua saltem ratione dei iram placasse 4).

Tum vero per se demonstrando desudat, non solum potuisse deum jure nobis peccata nostra ignoscere, nulla vera pro illis satisfactione a quopiam ullo modo accepta, sed etiam id facere eum voluisse; nec potuisse ullo modo, salvis nobis, justitiae divinae pro peccatis nostris satisfieri, ne ab ipso Christo quidem 5).

Prius ex eo constare potest, quod delicta nostra eatenus nos deo obnoxios reddunt, utque pro ipsis ei satisfiat, requirere videri possunt, quatenus offensae sunt majestatis ipsius, ita ut peccatis, vera pro ipsis

4) De J. Christ. serv. Part. II. cap. 26. (Opp. Tom. II. pag. 185.).

5) De J. Christ. serv. Part. II. c. 27. Socinus quidem in Praelectt. theoll. (Opp. Tom. I.) et Disputatione de J. Christo servatore (Opp. Tom. II.) sententiam de vera et plena satisfactione in nostra ecclesia receptam refutandam sibi sumsit; sed haec versa corrumpit etiam *superabundans* satisfactio a Thoma Aquinate inventa. At vero etiam contra eorum opinionem, qui cum Scoto satisfecisse Christum statuunt, quia deus ita decreverit et ipsius obedientiam pro satisfactione *acceptaverit*, non quia illa per se vim satisfaciendi habuerit, quamque satisfactionem *non sufficientem* apte dixeris, multa argumenta a Socino adlata pugnant.

satisfactione non accepta, deum ignoscere nihil aliud sit, quam eum *de jure suo remittere*. Unicuique autem de jure suo, quantum velit, remittere licet. Deus igitur, vera pro ipsis satisfactione non accepta, peccata nobis condonare jure potuit. Quocirca deus in hominibus vel puniendis vel absolvendis *non tanquam judex aliquis statuendus est, qui de alieno jure agat*, cuique non liceat a legum praescripto recedere, sed *tanquam dominus et princeps, cujus sola voluntas, cum de ipsius jure tantum agatur, omnium rerum lex est et perfectissima norma*“<sup>6)</sup>.

Adversariis, qui objiciant, *dei justitiam omnino requirere, ut peccata puniantur aut pro ipsis satisfiat*, respondet Socinus, illam in deo non residere tanquam proprietatem s. qualitatem, sed *effectum esse voluntatis divinae*. Cum enim deus peccatores puniat, ut digno aliquo nomine hoc ejus opus appellemus, *justitia* tunc eum uti nos dicere, quemadmodum eum alicui nocenti parcat, eum *miserordia* usum fuisse Scriptura dicat, nec propterea opus esse, ut isti justitiae deus vel satisfieri curet vel renunciet. <sup>7)</sup> *Istam autem in deo non residere, ex eo*

<sup>6)</sup> Vid. II. de J. Christo serv., Part. II. (Opp. II. pag 186.).

<sup>7)</sup> Haec justitia e Socini sententia in *Sacris Literis* non justitia, sed *severitas* aut *vindicta*, aut *ira* aut aliis ejusmodi nominibus nuncupatur; ubi vero illius justitiae mentio fit, quae nullum terminum habet, ibi non ista praeclaro hoc nomine insiguitur, sed ea virtus (proprietas) divina, quam alio nomine *rectitudinem* et *aequitatem* dicimus. Cf. Catech. Rac. Quaest. 396. — Attamen in eo, quod nonnulli putant, ab hac dei rectitudine et aequitate tanquam primo fonte remissionem peccatorem Socinum ducere, falluntur. Imo ille sic rem animo informavit, *voluisse et velle*

maxime apparere, quod, si in deo resideret, ne minimum quidem delictum cuiquam ille condonaturus esset; nihil enim unquam eum facere posse, quod proprietatibus, utpote infinitis, adversetur. — Patere praeterea nec justitiam istam nec misericordiam in deo residere tanquam qualitatem perpetuam et infinitam ex eo, quod Sacra Scriptura doceat, deum tardum esse ad iram et multum miseratione (Exod. 34, 6. Num. 14, 18); quo manifesto indicari, haec duo *effecta* esse voluntatis ejus, quorum unum ab altero magnitudine superari, *ut simul stare nequeant et terminata* sint. — „Concludendum igitur est, nullam in deo justitiam esse, quae omnino peccatum puniri debere dicet, et cui ipse renunciare non possit, sicut nulla in eo est misericordia, quae peccatoribus ignoscendum esse omnino statuat, et cui voluntas divina obsequi quodammodo debeat.“<sup>8)</sup>

Sed *voluit etiam deus peccata, nulla pro iis vera satisfactione accepta, nobis condonare*<sup>9)</sup>. Attamen non dubitandum est, quin deus, quibus peccata ignoscit, ab iis semper aliquid requirat, sive aliquid in ipsis esse velit, quod *satisfactionis cujusdam loco* haberi possit. Id autem nihil aliud est, quam vitae puritas et innocentia eaque vel jam praesens, cum errata committuntur, quae ignosci debent, vel ipsa errata subsequens. Aut enim errata, quae ignoscuntur, erroris cujusdam sunt et ignorantiae, (haec autem errata cum ipsa vitae

---

deum hominibus, si respiscant, peccata condonare, atque hanc voluntatem ipsum patefecisse et quasi lege sanxisse, unde *aequum et rectum* (justum) esse, a deo respicientibus ignosci. (De Christo serv. Opp. II. pag. 188.)

8) De Christ. serv. Part. III. c. 1. (Opp. II. pag. 187. Cat. Rac. Quaest. 396.)

9) De Christo servat. Part. III. (Opp. Tom. II. pag. 188 et sqq.)

puritate atque innocentia consistere queunt), aut iniquitates sunt atque scelera; haec vero vitae puritatem et innocentiam plane excludunt; sed si in locum eorum vitae puritas et innocentia succedat, condonantur a deo, quemadmodum superiora illa propter ipsam jam praesentem a deo ignoscuntur <sup>10</sup>). *Voluisse* autem deum peccata condonare, non accepta vera satisfactione, ex eo apparet, quod ante Christi adventum ab ipso fere orbis initio sine vera satisfactione hominibus ignoscere consuevit. Etenim propter Christi futuram satisfactionem jam tum condonata esse peccata, merum commentum est humanum. Atque scripta Veteris Test. istam dei liberalitatem aperte pollicentur (Deut. 4, 29. Ps. 103. Jer. 18, 7. et aliis ll.). Praeterea Johannes baptista, praecursor Christi, quid aliud praedicabat, quam poenitentia comparari remissionem peccatorum? Denique summa doctrinae Jesu Christi nihil aliud est, quam gratuita remissio peccatorum iis, qui poenitentiam egerint (Matth. 4, 17. Luc. 24, 47 et aliis ll.) Quid vero commune habet poenitentia nostra cum aliena satisfactione, aut quomodo aliena satisfactione peccata nostra delere voluit deus, si poenitentiam nostram ad ea delenda omnino requirit? Et quid magis remissioni contrarium, quam satisfactio <sup>11</sup>)? Illa enim necessario duas partes habet, unam, quod is, qui debet, ea necessitate solvitur, alteram, quod is, cui debetur, *satis fieri non vult* <sup>12</sup>).

Socinus, quo clarius demonstraret, *Christum pro peccatis nostris satisfacere non potuisse*, praemonendum esse putavit, alterum satisfaciendi

<sup>10</sup>) Praelectt. theoll. cap. 17. (Opp. Tom. I. pag. 566.)

<sup>11</sup>) Catech. Rac. Quaest. 391. Praelectt. theoll. c. 17.

<sup>12</sup>) Cf. De Chr. serv. Part. III. c. 2.

modum, quo Christum omnes poenas omnibus peccatis nostris debitas persolvisse orthodoxi volunt (obedientia passiva), cum altero, quo vitae innocentia et sanctitate pro nobis legem divinam perfecte observasse contendunt (obedientia activa), non simul consistere posse vel certe alterutrum supervacaneum esse. Nam modum satisfaciendi poenarum irrogatione ostendere manifesto, eum, pro quo satisfiat, pro innocente non haberi; ubi enim innocentia i. e. nullum delictum sit, ibi poenae nihil esse loci; modum autem satisfaciendi iis praestandis, quae alter facere debuerit, omnino efficere, ut is, pro quo ea praestentur, innocens habeatur deque eo perinde censeatur, ac si nihil deliquisset unquam. „Alterutrum autem supervacaneum esse, id demonstrat, quod si quis ea omnia fecisse censeatur, quae facere debuerat, jam deleta sunt omnino peccata ejus universa. Quomodo enim vel minima ex parte is peccasse censendus est, sive peccati reus haberi potest, qui omnia fecerit, quae debuerit? Similiter si quis poenas universis suis peccatis debitas persolvisse censeatur, jam prorsus deleta sunt ipsius peccata <sup>13)</sup>.“

*Neque vero potuit* Christus poena soluta pro peccatis nostris satisfacere, quod poena nostris peccatis debita mors aeterna erat <sup>14)</sup>, mors autem aeterna corporis poena est. At rationis lumen, quo deus nos

---

13) Praelectt. theol. cap. 18. (Opp. Tom. I. pag. 570.)

14) Noli intelligere *cruciatu* *sempiternos*, sed *interitum*. De re confer Catech. Rac. Quaest. 392, ubi adjectum est, si Christus aeternam mortem pro nobis subiisset, consequi, nos Christo, quam deo ipsi, magis devinctos esse, quippe qui satisfactione multum gratiae nobis ostendisset, cum deus exacta satisfactione nulla prorsus gratia nos prosecutus esset.

donavit, aperte ostendit, non debere nec posse corporis poenam, quam aliquis debeat, ab alio persolvi, id quod omnium gentium ac saeculorum legibus et consuetudine perpetuo et maximo consensu comprobatum est. Deinde, cum unusquisque nostrum propter peccata sua aeternam mortem meruerit, unus autem quispiam non nisi unam aeternam mortem solvere possit, necesse esset, *totidem* inveniri, qui aeternam mortem subirent, *quot* nos sumus, qui ipsi nihil peccassent neque ista poena pro se solvenda obstricti essent. Adde, quod etiamsi maxime fieri potuisset, ut alterius sive unius sive plurium innocentium aeterna morte pro nobis nostrisque peccatis satisfaceret, id tamen ut fiat, nulla ratio patitur. Quid enim iniquius, quam insontem pro sontibus puniri, praesertim cum ipsi sontes adsint, qui puniri possint? Praeterea, si ex dei ipsius sententia atque decreto nec filius propter patris peccata nec pater propter peccata filii puniri debet (Deut. 74, 16. Ezech. 18, 4. 20.), lex atque decretum dei ei satisfactioni, quae poena soluta fiat, aperte refragatur. Is, qui omnis aequi et recti fons est, tam iniquum et pravum facinus contra suum ipsius decretum admiserit, ut ab uno homine caeterorum hominum, quibuscum praeterea nulla ratione conjunctus fuit, nisi quod homo erat, iniquitatis poenas exegerit? Quid magis impium et detestandum excogitari potest? — Jam eos adversarios, qui ajunt, Christi personam talem fuisse, ut, etiamsi nec ea vere Christus passus fuerit, quae quilibet nostrum propter peccata sua pati debuisset, et multo minus ea ipsa solus corpore suo dependerit aut dependere potuerit, quae nos omnes pendere debuerimus, ejus tamen cruciatus sive perpassio poenas nostris omnium peccatis debitas non aequaverint modo, sed etiam supera-

verint, eos igitur Socinus eo refutat, quod adfirmet, necesse esse, ut, si hoc verum esset, id vel ex ipsius Christi personae dignitate, vel ex vi quadam inde proficiscente, vel ex utraque re simul factum fuerit. Quod vero ad *dignitatem* personae adtineat, nullam apud deum *προσωποληψία* esse, nec pluris apud eum esse levem poenam dignitate insignis personae, quam gravem dignitate prorsus carentis, ubi delicta sint paria. Quocirca, cum Christus (ut orthodoxi velint aut certe velle debeant) omnia delicta nostra in se transtulerit, tanquam si ipsemet ea commisisset, nulla ratione posse, Christi perpeffione divinae justitiae satisfactum esse, adfirmari, nisi Christus eadem passus fuerit, quae nos propter delicta nostra pati deberemus, et, nihilo leviozem poenam dederit ea, quae nobis constituta fuisset. Atqui ea, quae Christus pertulerit, ne comparari quidem cum iis posse, quae nobis perferenda essent, non solum, quia haec tempore infinita sint, verum etiam quia utrorumque interna ratio plane diversa sit; neque enim, quae Christus sit passus, proprie posse poenas dici, cum ea tanta beatitas et gloria consecuta fuerit. — *Vim autem aliquam ex Christi persona proficiscentem* videri nullo modo sat magnam esse posse, nisi sit infinita, et proinde Christus aeternus et ex sua ipsius natura deus esse statuatur. Hoc autem nunquam posse probari, atque, etiamsi probetur, eo tamen illam sententiam minime juvari, cum divina natura cruciatus nullos experiri neque eorum ulla ratione particeps esse possit; praeterea, cum divina natura ea foret, quaecum istud nostrum aes alienum contractum fuisset, nullo modo posse ipsam illud satisfactione dissolvere aut vires dare ad dissolvendum; neminem enim sibi ipsi quidquam solvere aut sibi ipsi satis-



faciendi vim suppeditare. Itaque tantum abesse, ut, si Christus aeternus et ex se ipso deus esset, propterea satisfactionem istam peragendi vim habiturus fuisset, ut, cum unus tantum deus sit, ob hanc ipsam causam ea vi plane fuisset destitutus <sup>15</sup>).

Denique Christus *praestandis iis, quae praestitit* (obedientia activa,) *pro nobis satisfacere non potuit*. Etenim quum homo natus sit, isque legi obnoxius, perspicuum est, eum universa lege dei perfectissime servanda obstrictum fuisse; quo modo igitur id pro aliis praestare potuit, quod ipse deberet? Nam qui dicat, Christum multo plura praestitisse, quam quae dei lex praeciperet, is considerato, ea et ipsa Christum praestare debuisse, quippe quae sibi a deo patre mandata et injuncta essent. Id enim vel ex eo intelligitur, quod ipsam mortem ex patris mandato subivit (Joh. 10, 18) quodque in ipsa crucis morte sustinenda obediens deo fuisse dicitur Phil. 2, 8. Qui ipse locus clare ostendit, eum in iis quoque, quae crucis mortem antecesserunt, deo obedientem fuisse et idcirco nihil praestitisse, quod sibi a deo non injunctum esset. Apparet igitur, nullam pro aliis satisfactionem ex iis, quae Christus fecit, proficisci potuisse. Adde, quod ille ejusmodi praemium et mortis et omnium laborum suorum a deo ipse reportavit, quod mortem et omnes labores multum superat, ut iis pro aliis satisfaciendi nullus penitus relinquatur locus. — Sed finge, Christum obedientia, quam deo praestitit, praestanda non obstrictum fuisse, illud tamen certum est, unius

---

15) Praelect. theoll. cap. 18. (Tom. I. pag. 572.) Multo uberius eadem res tractatur in Disputatione de Christo serv. Part. III. cap. 4. (Tom. II. pag. 199 sqq.)

hominis obedientiam, licet perfectissimam, pro uno quopiam tantummodo satisfacere posse. Ac si hic quoque vel ad Christi personae dignitatem vel ad vim aliquam infinitam confugere quispiam velit, utrumque frustra erit; nulla enim personae dignitas tanta esse potest, ut obedientiam perfectiorem efficere possit ea, quam nos debemus, quae quidem esse debet perfectissima. De vi autem aliqua infinita ex Christi persona proficiscente nihil adinet dicere, cum humana natura, a qua sola obedientia divinae legis praestari et potuit et debuit, infinita vi per se ipsa praedita esse nullo pacto queat 16).

Praeterea Socinus, multa mala ex satisfactionis dogmate oriri, evincere conatur. Ex eo enim id necessario consequi, deum, nulla vera pro peccatis nostris satisfactione accepta, aut non potuisse aut noluisse ea nobis liberaliter condonare; utroque autem ejus nomen et gloriam vehementer laedi atque dedecorari. Deinde probata ista de satisfactione sententia dei veram justitiam h. e. rectitudinem et aequitatem, perpetuam omnium ejus actionum comitem, quae inter ipsius admirabilia attributa tanquam in coelo sol inter alia sidera refulgeat, labefactari et penitus convelli. Sed neque alteram illam justitiam i. e. ejus in delictis puniendis severitatem, qua haud raro adversus contumaces uti soleat, ulla ex parte conservari aut retineri, verum temerariam quandam immanitatem in ejus locum substitui. Adde immanitati summam insipientiam, dum Christi morte nostrorum delictorum poenam compensari velit, cum tamen id fieri nullo modo potuisse constet. Praeterea Christi gloriam non minima ex parte obscurari, quum et caritas ejus erga nos in morte

---

16) Praelect. theoll. c. 18. Cf. De J. Christo serv. Part. III. c. 5.

pro nobis subeunda cleveretur, et aeternae salutis nobis dandae potestas, illi ut homini concessa, magna cum impietate et sacrilegio ei adimatur atque eripiatur. Denique omne pietatis studium, id quod ipsa experientia satis probetur, refrigerare et exstingui, dum homines putent, jam reipsa se justos esse, quia omnes omnium suorum peccatorum poenae divinae justitiae persolutae fuerint 17).

Sic satis probatum esse Socinus credit, Christi satisfactionem pro peccatis nostris ex eorum genere esse, quae fieri nullo modo possint. Quare idem loca e S. S. ab orthodoxis ad illam sententiam confirmandam afferri solita ita tractat, ut, quod illi velint, id neutiquam efficiatur. Namque ea testimonia, in quibus de redemptione per Christum aut ejus sanguinem facta agitur, vel, ipsum se sive animam suam redemptionis pretium pro nobis dedisse, affirmatur, ille cum sectatoribus suis non proprie, sed translate s. metaphorice accipit, ut in redemptione peragenda nullum verum pretium relinquatur, sive nihil cuiquam pro nobis solutum fuerit 18). — Quae S. S. effata Christum pro nobis et pro peccatis

---

17) Vid. De J. Christo serv. Part. III. c. 11. (Opp. II. pag. 212.) Cf. Catech. Rac. Quaest. 393, ubi dogma de satisfactione propterea perniciosum esse censetur, „quod hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperiat aut certe ad socordiam in pietate colenda eos invitet.“

18) Quae redemptionis nostrae per Christum metaphora diligentius explicatur in lib. de J. Christo serv. Part. II. cap. 2. (Opp. II. pag. 143 et sqq.) Catech. Rac. Quaest. 1402, ut paucis dicam, haec docet: „Vox redemptionis simpliciter liberationem notat. Porro de Christi morte dicitur, quod nos per eam liberaverit, quod ea interveniente liberationem consecuti simus et ab ipsis peccatis, ne eis amplius serviamus, et ab eorum poena, ut e

nostris morti traditum, percussum et occisum, vel passum et mortuum fuisse, docent, in iis, Socino iudice, *pro significat propter, causa,*

*faucibus aeternae mortis erepti in perpetuum vivamus.*“ Haece verba ita sunt comparata, ut sententiam de satisfactione *orthodoxam* exprimere videantur, ideoque aperte pugnare cum iis, quae supra de satisfactione a nobis sunt exposita. Sed comparatis Soc. Praelect. theoll. omnia patefunt, et cum reliquis Socinianorum placitis optime cohaerent.

Ille enim loquendi modo *interveniente morte Christi* non vis aliqua significatur, quae morti ad liberationem nostram insit, sed res, sine qua liberatio locum non habeat; et redemptio duplici ratione consideratur vel quatenus *ab ipso peccato in hac vita eximimur s. liberamur*, dum sectatores honorum operum evadimus, vel *quatenus a morte, peccati poena, liberamur*. Jam vero Christi morte *interveniente utroque modo liberamur*, et priore quidem, cum Christi verbis fidem adhibeamus, qui nos poenitentiam agere jussit et novos homines fieri, coelestis hereditatis praemio proposito. Atqui Christi *resurrectio* potissima causa est, cur ejus verbis fidem adhibeamus, ad resurrectionem vero non nisi *per mortem* pervenire ille poterat; et simul ejus in coelis *gloria et potentia*, ad quam, deo ita statuente, *per violentam mortem* cum perducere necesse erat.

Sic igitur Christi mors in causa est, ut ab ipso peccato liberemur, sive, uti est in Catechismo, *liberationem consecuti simus ab ipsis peccatis, ne eis amplius serviamus.*

Altero modo liberamur h. e. a morte, peccati poena, exsolvimur, primum hic spe, deinde *re ipsa* in coelis, ubi immortalitate donabimur. Hanc liberationem sive spe in hoc mundo sive *re ipsa* in saeculo futuro habere, *interveniente Christi morte*, sic nobis contingit. Firmam immortalitatis spem in nobis Christi resurrectio, quae nisi antegressa ejus morte nulla esse poterat, potissimum gignit. Deinde oportuit

*occasione, nunquam vice s. loco* <sup>19)</sup>. — Atque ubi scriptum est, Christum tulisse peccata nostra aut aliquid simile, hic sensus ei videtur esse, Christum peccata aut peccatorum poenam *abstulisse*, non praestita satisfactione, quum nunquam apud deum satisfactione peccata ablata esse dicantur <sup>20)</sup>. In quo tamen hoc diligenter notandum esse putat, cum in S. S. legatur, peccata nostra *ablata fuisse*, aut *expiata*, aut *remissa* aut aliquid simile, idque hac vel illa ratione *factum esse*, non debere intelligi, jam id *reipsa perfectum fuisse*, vimque id perficiendi ex re quapiam sive actione *jam profectam esse*; sed „dei *consilium* de peccatis nobis condonandis iisque a nobis auferendis significari“ intelligendum esse; atque id vel ea commemorari, quae ab ipso deo vel ipso deo curante facta sint, ut hoc ejus consilium eventum habeat.

Christum non solum mori, sed atrocissima et ignominiae plena morte occidi, ut, inde postmodum ad gloriosam aeternamque vitam et beatitatem perductus, nihil veri mali in ea via esse doceret, quam nobis praemonstraverat, et deinceps nulla quantumvis atroci et infami morte *a spe* immortalitatis ii, qui ipsi obediunt, demoveri possent. At ab ipsa aeterna morte veram liberationem *reipsa* consequi non possemus, nisi Christus, qui nos ab ea vindicaturus est, supremam in coelo et terra potestatem adeptus esset. Hanc vero adipisci non poterat, nisi crucis morte praeeunte, propterquam a deo illa donatus est.

Sic igitur Christi mors in causa est, ut etiam a poena peccati *ob-* solvamus, sive, secundum verba Catechismi, *liberationem consecuti simus ab eorum (peccatorum) poena, ut — vivamus.*

19) Vid. Praelectt. theoll. cap. XX. Cf. Catech. Quaest. 400.

20) Vid. Praelectt. theol. c. XXI. Catech. Quaest. 410.

Alioquin nihil esse, cur de peccatorum condonatione consequenda quisquam nostrum sollicitus esse deberet, nec porro vel poenitentia vel fide vel ulla alia re ejusmodi, quae in nobis esse debeat ad nos justificandos, opus esse, si, antequam crederemus et poenitentiam ageremus, jam reipsa a peccatis absoluti et justii coram deo essemus. — Quam ob rem verbi causa Petri verborum in epist. I. c. 2. v. 24. ὅς (scl. χριστός) τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον etc. e Socini opinione hic est sensus „Christum, quem in summa patientia ac tolerantia malorum atque injuriarum ad imitandum (Petrus) proposuerat, adeo patientem adeoque tolerantem fuisse, ut ipsam crucis mortem injustissime sibi illatam subire non recusaverit idque ut deo obediret, qui ea ratione peccata nostra auferre voluit, id est, efficere, ut nos peccatorum veniam ab ipso nobis oblatam reipsa consequeremur et in posterum a peccando abstereremus“ (!) At quam sit contorta haec interpretatio, quamquam non professus, tamen bene sibi conscius, in hanc etiam sententiam illa verba explicari posse, contendit, Christum propter peccata nostra sive occasione peccatorum nostrorum adfictum et divexatum fuisse. Loquendi enim usu receptum esse, ut, qui occasione peccatorum alicujus adfligatur, is illius peccata perferre et sustinere dicatur. Igitur, si quis ex alio sibi conjuncti hominis delicto aliquod damnum ad se redire sentiat, eum (praesertim si ea in re extra culpam plane fuerit) non dubitaturum esse dicere, se conjuncti illius hominis peccatum sustinere; quin etiam, se peccati illius poenas dare, additurum. Hinc merito dici potuisse, Christum, qui nunquam peccaverit, peccata nostra sustinuisse et poenas illorum de-

disse<sup>21</sup>). — Quod inventum Socinianum inter recentiores theologos multos patronos nactum esse constat. — Denique qui e comparatione Jesu Christi cum victimis saepius in Litt. Sacris facta ab eo satisfactum deo esse colligant, eos errare, cum multis aliis argumentis evincere studet tum eo, quod sacrificia ullam vim satisfaciendi habuisse neget, contra gratia et decreto dei, *accedentibus sacrificiis*, peccata imprudentiae et infirmitatis remissa esse, adfirmet<sup>22</sup>).

Nunc vero quaeritur, quam re munus Christi sacerdotale constare Sociniani voluerint. — Illud cum regio arctissime conjunctum esse, Catechismus docet. Quemadmodum enim Christus e regio munere *potest* nobis in omnibus nostris necessitatibus subvenire, ita e munere sacerdotali subvenire *vult* et *vere subvenit*, quae subveniendi seu opis ferendae ratio sacrificium ejus figurato loquendi modo appellatur. Huc potissimum pertinet, quod *omnia ad expiationem peccatorum nostrorum spectantia peragit*. Id autem efficitur eo, quod a peccatorum poenis nos liberat, *dum virtute et potestate, quam a patre plenam et absolutam consecutus est, perpetuo nos tuetur et iram dei, quae in impios effundi consuevit, interventu suo quodammodo (!)*

21) Vid. loc. cit.

22) Vid. lib. cit. cap. 22 et seqq. Catech. Rac. Quaest. 413. Socino cum suis placuit, sub vetere foedere iis tantum peccatis, *accedentibus sacrificiis*, expiationem constitutam fuisse, quae per imprudentiam et per infirmitatem admissa essent, verum pro peccatis gravioribus, quae violationes fuissent mandati divini manifestae, nulla sacrificia instituta fuisse, sed mortis poenam propositam. Quod si talia deus alicui condonavisset, id misericordia dei singulari factum esse.

a nobis arect, seu pro nobis interpellat sive intercedit <sup>23</sup>); deinde eo, quod ab ipsorum peccatorum servitute nos liberat, dum eadem potestate ab omni flagitiorum genere nos revocat et abducit et vel suo ipsius exemplo nobis ostendendo, quid consequatur is, qui a peccando desistat, vel etiam alia ratione nos hortando et monendo, nobis opem ferendo atque interdum nos puniendo a peccati jugo exsolvit <sup>24</sup>).

Illud igitur sacrificium a Christo in coelis peragitur <sup>25</sup>), nec ipse, ante quam in coelos adscendit, sacerdos fuit <sup>26</sup>). Mors autem ejus, ut

---

23) De interpellatione tanquam peculiari sacerdotalis muneris Christi parte loquentes ludunt Sociniani. Etenim e sententia Socini Scriptura interpellationem tribuit Christo, ut perpetuo cogitemus, Christum non a se ipso, sed a deo, nos a peccatis liberandi et qualibet in alia re juvandi nobisque subveniendi potestatem habere. Vid. ejus Christianae religionis Institut. (Opp. I. pag. 668). Prorsus consentit Catech. Rac. Quaest. 486, nisi quod Christi potestati ejus efficaciam adjungat; nec fere discrepat Ostorodtus. Ille enim in libro: Unterricht ic. pag. 386 ita scribit: Solches Vertreten oder Bitten Christi für uns muß eben so wohl als sein Priestertum figurlich verstanden werden; et pag. 387: Derohalben ist dieß Vertreten oder Bitten anders nichts, denn daß Christus durch seine Macht und Autorität, welche er von Gott empfangen hat, uns von allem Bösen allwege erlösen wolle. Nihil igitur novi interpellatione operi Christi additur. Quae quum ita sint, patet, quaecunque de sacerdotali Christi munere Sociniani tradunt, ea simul comprehensa esse in munere ejus regio, quale orthodoxi describunt.

24) Catech. Rac. Quaest. 479.

25) Quaest. 482.

26) Quaest. 483 et Socini libr. de J. Christo serv. Part. II. cap. 33 (Opp. II. 178 et sqq.



non erat ipsum sacrificium, ita tamen via quaedam et praeparatio <sup>27)</sup> ad illud peragendum fuisse censenda est <sup>28)</sup>.

III.

**De statibus Christi.**

§. 5.

Vitae Jesu Christi conditio non semper eadem fuit nec erit secundum Socinianos; itaque diversi ejus *status* possunt distinguui, quamvis non ii, quos orthodoxi Christi esse docent, quoniam illis natura divina nullius est momenti in hac doctrina nec unquam cum humana in Christo fuit juncta. Socinus quidem ipse et Catech. de statibus diversis nusquam agunt; nonnulli vero ex illius adseclis reipsa cum eo conspirantes *quatuor* status enumerant, nimirum *dignitatis* a nativitate ad passionem (in quo Christus docuit, miracula edidit et interdum peccata remisit) stat. *humiliationis* a passione ad resurrectionem, stat. *exaltationis* a resurrectione ad saeculi consummationem (in quo suos gubernat), denique stat. *degradationis* in omnem aeternitatem (postquam deo tradidit regnum).

---

27) Nimirum Christus tanta mala et atrocissimam mortem ipse expertus, nostrum miseretur et propensior est ad opem nobis ferendam.

28) Quaest. 483.

(Continuabitur.)

non erat ipsum sacrificium, ita tamen via quaedam et praeparatio <sup>27)</sup> ad illud peragendum fuisse censenda est <sup>28)</sup>.

III.  
**statibus Christi.**

§. 5.

Vitae <sup>023</sup> conditio non semper eadem fuit nec erit secundum Socinianos. <sup>023</sup> Diversi ejus *status* possunt distingui, quamvis non ii, quos ordines esse docent, quoniam illis natura divina nullus est momentaneus, nec unquam cum humana in Christo fuit juncta. Socinus quidem <sup>023</sup> h. de statibus diversis nusquam agunt; nonnulli vero ex illius <sup>023</sup> cum eo conspirantes *quatuor* status enumerant, nimirum <sup>023</sup> *depressionis* a passione (in quo Christus docuit, miracula <sup>023</sup> *humiliationis* a passione ad resurrectionem, <sup>023</sup> *exaltationis* a resurrectione ad saeculi consummationem, <sup>023</sup> *degradationis* in omnem aeternitatem, <sup>023</sup> *degradationis* in omnem aeternitatem. <sup>023</sup> *degradationis* in omnem aeternitatem. <sup>023</sup> *degradationis* in omnem aeternitatem.

27) Nimirum Christus tanta mala et mortem ipse expertus, nostrum miseretur et propensior est ad <sup>023</sup> *degradationis* in omnem aeternitatem.

28) Quaest. 483.

(Continuabitur.)

